

S

FI

M





15.  
M. D. C. C. V.

**SALUBRITA-  
TEM FLUXUS HÆ-  
MORRHOIDALIS,**

SUB PRÆSIDIO

*VIRI EXCELLENTISSIMI*

**FRIDERICI HOFFMANNI,**

Consilarii & Archiatri Regii, Medicinæq;  
& Phil. N. Prof. P.

**PRO LICENTIA**

Summos in arte Medica Honores impetrandi  
DISSERTATIONE INAUGURALI  
deducebat

**M. GEORGIUS ANDREAS AGRICOLA,**  
Ratisponensis.

---

Typis, CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typogr. 1708.

SALUBRITA-  
TEM FELIXE HAE-  
MORRHODALS,



05 H 664

FRIDRICH  
Gothard  
Dissertation  
M. GEORGIUS ANDREAS AGRICOLA  
CHRISTOPH ANDREAS AGRICOLA







DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA  
De  
SALUBRITATE FLUXUS  
HÆMORRHOIDALIS.

§. I.



Cecidit sæpius naturæ beneficio, quæ optima cum vitæ atque sanitatis conservatrix sit, tum ab eadem morbos si qui infestant, depellit, ut juvante excretionem, eadem præter naturam sanitatem ac vitam tueatur atque conservet. Inde est, quod salutarem sæpe opem in depellendis morbis

præstet talis excretio, quæ sub naturali lege minime continetur. Testantur id spontaneæ hæmorrhagiæ, quæ quantum fructum atque emolumentum corpori afferant, notissima in foro medico res est, quandoquidem natura vitalem laticem abundantia sua occultam perniciem corpori molientem, per vias consuetas vel etiam incon-  
suetas expellens, varios eosque gravissimos amolitur & præcavet morbos, diuturnam perpetuamque sæpe hoc modo corpori præstans sanitatem. Sicuti enim sanguis tanquam optimum vitæ sanitatisque pignus, diligenti semper cura adservandus & custodiendus est, ita si abundat nimium,



si mole premit corpus, nec in debita proportione cum vasis consistit, vires prostermit, obstructions morborum generatrices parit, membris pondus atq; gravitatem inducit, & ipsi vitæ præsentem parat perniciem, nisi vel matura venæ sectione plethoræ succurramus, vel ipsa natura sanguinem, quem vasa capere & digerere nequeunt, excernat. Quo minus mirabile est, cum abundantia sanguinis manifestum corpori discrimen denunciet, eademque plerisque corporibus infesta sit, omnibus fere ætatibus solennes esse hæmorrhagias. Pueros ac adolescentes sanguinis profluviiis è naribus magis obnoxiosos esse, testatur Hippocrat. *aph. 27. S. 3.* In juvenibus sanguis magis molitur exitum per venas pulmonis, unde hæmoptysis. *vid. aph. 29. f. 3.* Feminæ singulis mensibus purgantur per uterum, sanguinis copia, quæ alioquin perniciosa foret, per hanc partem exsoluta. Viros & provectoris ætatis hæmorrhoidales excretiones vexant, momente eodem *Hipp. f. 3. aph. 30.* Excretiones hæ, si consuetudinem servant, & quasi in habitum transierunt, à quacunque etiam causa suppressæ sint, pessima ac infinita mala pro ætatum & corporum differentia fabricantur. Nos jam in præsentia saluberrimi hæmorrhoidalis fluxus usum in gravissimis & persanandis & præcavendis morbis generatim recensere constituimus, adjecturi, quanta pernicies machinæ accedat, si hic fluxus in assuetis intempesive suppressus fuerit. Oramus autem supplici prece Numen Divinum, ut instituto huic gratia & auxilio suo benignissime adesse velit.

II.

Quod vocem hæmorrhoidum attinet, Græca est & dicitur *αιμορροΐς από τῆ ἀίματ* & verbo *πέσαι*. Latine sub Autore C. Celso adpellaveris sanguinis per oravena-



venarum profusionem. Germani vocant die *Rind Uder/*  
*Uffter* : oder *güldene Uder/* propter commodum egre-  
 gium, uti *Solenander conf. 20. f. 4.* rectissime innuit, quod  
 valetudini præstat, quoties naturæ beneficio tempeſtively  
 apertæ aut qualitate noxium humorem aut quantitate  
 prementem exonerant. Quod enim utile est, id aure-  
 um subinde vocari solet: *Aetius L. 14. cap. 5.* definit affe-  
 ctum hunc, quod sit dilatio quædam locorum in sede fa-  
 cta, vasis quibusdam illic apertis & progressu temporis  
 callositatem induentibus. Venæ, per quas sanguis fluit,  
 in ano sitæ sunt, eademque dividuntur in internas & ex-  
 ternas. Internæ vocantur, quæ sunt superiores, & inte-  
 riorem intestini recti partem transeunt. Exteriores in-  
 ferius spectant, recti intestini finem percurrentes. Interio-  
 res ad V.P. natales referunt. exorsæ à ramo mesaraico sinistra  
 mesenterii partem potissimum perluente, quiq; in intestinũ  
 colon, qua recto connectitur, exporrectus est. Venæ hæc  
 perforant communem mediamque recti tunicam.,  
 & varios ramulos inter rugosam & hanc serpentes re-  
 præsentant. Externæ a venæ cavæ ramo hypogastrico  
 per musculum cingentem in intestinum rectum disper-  
 guntur. Per dictas has venulas sanguis expurgari solet,  
 qui dicitur hæmorrhoidalis. Idque alias circulationis le-  
 gi minus respondet, quandoquidem naturæ solertia arte-  
 rias sanguini advehendo ad partes, venas autem ipsi re-  
 vehendo destinavit. Verum enim vero secus res com-  
 parata est in statu, qui est præter naturam, quippe hic o-  
 pus non est, ut sanguinis effluxus ita contingat, sicuti af-  
 fluxus ad partes naturalis per arterias. Et verosimilli-  
 mum est, maximam partem, quamvis non omni tem-  
 pore, in hæmorrhagiis venarum ora recludi, eo, quod so-  
 læ venæ videantur ad extrema partium hiare, cum arteri-  
 arum



arū fines venis junguntur, quibꝯ sanguis effunditur. Confirmat hanc sententiam ipse modus, quo sanguis effunditur, quippe non per saltum, quemadmodū ex arteria vulnerata, sed successive & tarde effluit; deniq; arteriæ distentæ pulsant, in vasis autem, quæ per sedem diffunduntur, sanguine turgidis, nullus observatur pulsus, quod ocularis experientia demonstrat. *Vesalius Lib. 5. de Fabr. corp. human. cap. 15.* qui hominem dissecauit defunctum ex morbo arquato jecorisque mira duritie, quippe sanguinis fluxu ex venis in anum pertingentibus vexari consueverat, invenit ramum venæ portæ, qui sub coli finem orsus, totamque recti longitudinem emensus in mesenterium pervagatur, pollicem fere crassitie æquantem & sanguine turgescens copioso, vicinis cavæ venæ ramis nihil profus immutatis. In vomitu cruento ex vasis brevibus sanguinem manasse in ventriculi sinum, & hic nuperrima sectione observatum fuit, liene reperto simul infarcto à sanguine ac hepate scirrholo. Accedit quod in venis facilius stagnare & subsistere possit, quam in arteriis propter retrogradum difficiliorem motum & valvulas, quæ sanguine crasso completæ, motioni sanguinis remoram injiciunt. Sanguis autem, qui ani venulis vehitur, eo proclivior ad stagnationem est, quo magis illarum situs est perpendicularis. Sicuti perinde observamus in venis cruralibus, quæ propter sanguinis perpendicularem & proinde difficiliorem ascensum facile distenduntur, & crasso sanguine oppletæ, varices subinde excitare solent. Adde quod compages intestini recti valde laxata sit, unde promptior sanguinis stasis, & venulæ tenui tunica obvolutæ, facili negotio distendantur atque lacerentur, quod similiter in naribus, pudendis muliebribus item in faucibus accidit.



Equidem per hæmorrhoides sanguinis evacuatio fit generalis, & per eas plethora solvitur ac uniuersum corpus repurgatur. Magis tamen ille, qui in partibus conterminis moratur, excernitur. Sic per venas exteriores, quæ cum renibus pudendis utero & vesica communicant, sanguine profuso, uteri vesicæ & pudendorum affectus adlevantur. Mensibus suppressis, horum loco hæmorrhoides hæc fluxisse, observationibus constat. Vid. *Hipp. L. Epid. Heurnium in Comment. aph. II. f. 6. Hollerium 4. in f. 3. aph. 30. Acta Hass. vol. 9.* Et viduis quibusdam loco mensium commode provenisse hæmorrhoides, compertum est. Quod idem in gravidis annotavit *Hollerius*, qui liquido adfirmat, eas utiliter effusas fuisse in duabus mulieribus Nobilissimis, jam quatuor menses uterum gerentibus, in quibus partus tempestivus consecutus sit, idemque saluberrime adoleverit. Erat autem frequens & multus fluxus, sanguis vero fere dilutus, qui ubi subsistebat, gravius habebant ægræ, excluso levabantur. Interiores quæ ad sedem pertinent, venæ, cum ramificationes venæ portæ sint, cum mesenterio liene, pancreate, hepate, & omento communicationem habent, & sanguis ex ipsis provocatus dicta vilcera a mole serosa & sanguinea egregie liberat & purgat, unde melancholicis atrabiliaris & hypochondriacis maxime confert. Sanguis enim dum ob viscerum imprimis lienis obstructionem aut aliud quodcumq; ipsius vitium non satis attenuatur & depuratur, ipse fœculentus, velut objecto in visceribus clauetro, vel ad ventriculum inclinatur, vel beneficio venarum ani certis intervallis, uti in mulierum mensuum purgationibus fieri solet, excernitur. Facile enim ob meatuum obstructionem non admissus, eo unde fluebat, rursus regurgitat, atque



que sua gravitate per ramum, qui ad intestinum rectum fertur, deorsum prolabitur ibique tantisper adservatur colligiturque, donec nimium turgentes venæ, osculis referatis per anum sanguinem præcipitent expellantque. Etenim si ullo in corporis loco, sane circa mesenterium & lienem facile sanguis subsistit & stagnat. Multum ad hoc facit structura singularis venæ portæ. Notabile enim est, sanguinem ex intestinis totoq; mesenterio omento liene & pancreate revehi in venam portæ tanquam in communem alveum, ubi vice ea arteriæ fungitur, & hepatis visceri ipsum infundit. Quoniam autem hic sufficiens & ad tale negotium perficiendum necessarius impulsus deficere videtur, lentius per hæc viscera & venam hanc sanguis procedit, & si ipse crassitie nimia peccat, & tenuibus spirituosisque partibus privatus est, facilis stagnatio circa has partes & viscera subnascitur, unde lienis, qui ex innumeris cellulis constructus est, subsarctus, hepatis & pancreatis obstructio ac tumor presso sequitur pede. Ex quibus deinde propullulant hydropes turbationes & spasmi circa hypochondria, vomitiones cruentæ, inflammationes renum & mesenterii, fluxus nimius sanguinis sive in viris per hæmorrhoides sive in feminis per uteri venas. Colicæ porro spasmodicæ, pathemata hysterica arthritides, alvi adstrictiones, & sexcenta alia mala invadunt, quæ omnia fluxus hæmorrhoidalis, maxime si sua sponte & critice à natura instituitur, mirum levare solet, immunita sic sanguinis sæculenti & copiosi, qui male habebat corpus, mole.

IV.

Per has venas non tam fluidus & floridus sanguis, quam crassus & ater, veteribus dictus atrabiliaris, vel etiam serum acre sanguinis rubore leviter admodum tinctum.

item



item tartareum fabulosum, quale in arthriticis & calculosis vidit *Schneid. L. 3. de catharrh. c. 7. f. 1.* expurgatur. *Sennertus in praxi L. 3. p. 2. f. cap. 12.* annotavit, vidisse se, materiam per vasa hæc excretam, non absimilem albumini ovi fuisse in hypochondriacis. Non raro succus niger putridus secedit, forsitan quod lien & mesenterium corrupto tali humore infarcta fuerunt. Observavimus, inquit *Solenander*, hypochondriacos aliquot, in quibus istæ corporis regiones & potissimum sinistrum hypochondrium multo nigro succo, tanquam atro jure repleta distentæque erant. Novimus, inquit porro *Secl. 4. Conf. 20.* quibus similis ex illis locis humor supra infraque redditus fuit, quod licet cum periculo conjunctum esset, tamen evasisse plures scio. Quod idem honesto viro *Phil. Job. Schleidano* fratri bis intra annum accidisse memini. Et ante mensem honesta & nobilis matrona de Blitterstorff istius atri succi & quod mirum, insipidi ferè ex dextro hypochondrio ad liberas 6. l. 7. vomitu rejecit. Quantitas materiæ, quæ evacuatur, varia esse solet & tempus quoque evacuationis varium: Nonnunquam extenditur ad libras aliquot, quandoque durat ad integrum mensem, quandoque etiam recurrit saltim annuo spatio, interdum etiam menstruo. Sic exempla luppetunt, quæ abunde demonstrant, viros non fecus ac feminas singulis mensibus sanguinis profluvium per hæmorrhoides experiri. Vid. *Miscell. Nat. Curios. Dec. 1. A. 2. p. 294.* item *Marcellum Donatum in hist. medic. L. 4. c. 19.* Exercet hic fluxus maximè atrabilarios & qui temperamentum sanguineo cholericum, vel sanguineo melancholicum alunt, hoc est, qui copiosum & crassum in venis continent sanguinem. *Galenus Comment. in 6. aph. L. 2.* lienis fœtum hæmorrhoides appellat, quibus melancholicos spleneticosq; potissimum affici

B

scribit,



scribit, his torqueri, his sublevari eosdem, communi consensu receptum est. Quicumque viscera hæc hepar & lienem, quorum officium est, sanguinem depurare a for-  
dibus, eundemque tenuem subtilem fluidumq; præstare, dura & obstructa habent, illi maximè obnoxii huic fluxui sunt. Qui hepate laborant, purgantur maximam partem per hæmorrhoides, uti scribit *Solenander in Conf. p. 374.* Quod idem tenendum de iis, qui longas viscerum obstructions fovent, & diurnas febres passi sunt, quippe facillimè experientia teste, tentantur hoc fluxu.

V.

Similiter & ferme omnes hæmorrhagiæ immodicæ, nisi à causâ extrinseca excitatæ fuerint, obstructionem vel vitium visceris cuiusdam ceu fundamentum agnoscunt. Nam sanguis, quando ejus libera motio & circuitus per viscera & partes corporis impeditur, regurgitat ad alia loca, vasa nimium distendit, illorumque ora extrema aperit, unde ingens nascitur hæmorrhagia. Quam compescere difficile est, nisi medicus viscerum obstructionibus prospiciat, eorumq; claustra perfringat & remediis liberiorè sanguinis cursum restituat, sicuti id in nimio mensium, vel etiam hæmorrhoidum fluxu coercendo compertum est. Eleganter *Galenus* causas, ex quibus sanguis per sedis venas profluit, complexus est, *in meth. med. L. 1. cap. 20.* ubi inquit, præter melancholici succi abundantiam accidere illis fluxus hæmorrhoidum, qui solitas exercitationes omiserunt, aut pleniori victu uti ceperunt quam antea, vel quibus consuetæ è naribus vel utero excretiones constiterunt. Quod idem evenit iis, qui commodam sanguinis detractionem, cui alioquin adveverant, male neglexerunt. Hæc omnia enim sanguinem accumulunt, illumque impurum ac crassum reddunt. Quando enim defi-



cit motus, uti in sedentaria vita, sanguis & humores non libere ventilantur, illorumque perspiratio impeditur, copiosæ sordes viscidæq; in venis colliguntur, & superfluous humor non excluditur, unde stases sanguinis circa venam portæ & viscerum infarctus suboriuntur. Qua de causa otiosi & tranquillitatem sectantes, litterati, monachique præ omnibus affectu hypochondriaco, qui quasi fons hujus inordinati fluxus est, corripiuntur. Sanguinis enim per motum attenuatio ad vitam & sanitatem valde necessaria est. Quippe motu & exercitatione crassus melancholicusque sanguis comminuitur, digeritur & attenuatur, unde robur ac calorem viscera meatusque corporis accipiunt. Disponunt porro ad fluxum modo dictum victus nimis crassus, & immoderatio usus ciborum sale conditorum, duratorum viscosorumq;, qui crassum ac sæculentum humorem ac sanguinem parant, quandoquidem ejusmodi cibis concoquendis tenerum fermentum ac calor imbecillis sufficere haud potest. Inde etiam crudus minusque spirituosus nascitur chylus, qui in sanguinem transmissus crudum & crassum eundem præstat, a visceribus non facile subigendum attenuandumq;. Hoc modo temperamentum sanguinis nascitur, quod a veteribus dicitur melancholicum, & faciei color quasi subviridis, qui experimento *Foresti*, pathognomonicum hæmorrhoidibus laborantium signum est. Et hanc ob rem viris & senibus, qui propter defectum spirituum seu caloris nativi crudum & copiosum sanguinem facile colligunt, familiarissimus affectus hic esse solet, adficiente experientia & ipso quoque *Hippocrate*, vid. *L. de aere aquis & locis cap. 4.* item *sect. 3. aph. 30.* Præterea quibus consuetæ sanguinis excretionnes suppressæ sunt, vel qui sanguinis detractionem, quæ ex usu ipsis alioquin fuit, intermiserunt, ad affectum hunc



maximè proclives sunt. Minus vero feminæ corripuntur hoc fluxu propter menstruam sanguinis excretionem, qua plethora satis solvi solet, eadem tamen, ubi sanguis, quo singulis mensibus exsolvi solent, constitit, per venarum ora eundem reddunt. Memorabilis hic est observatio *Hippocratis Epid. 4. C. 14. p. 752.* de filia *Ædilis*, quæ mensibus non prodeuntibus per duos annos heme hæmorrhoides experiebatur. Solet quoq; gravidis solemniter esse hæc fluxio propter cessantem debitam tempore ingravidationis ventilationem, ac variarum sordium ferosarum accumulationem, præcipue, quoniam à fœtu simul compressi rami iliaci, liberiores sanguinis circuitum impediunt. Inde etiam est, quod gravidæ in cruribus facile contrahant varices, quæ hæmorrhoidum vices subire solent. Qui assueverunt venæsectioni, & illam temere omittunt, victum autem consuetum servant, otio indulgent, corpus non satis exercentes, illi facile incidunt in catharros odontalgias, ophthalmias, pleuritidem, cephalalgias, corporisq; gravitatem & maxime tensionem istius partis, ubi vena alioquin pertusa fuit.

VI.

Hiscæ deductis, restat ut inquiramus, qua de causa remedia ex aloë parata item allium fluxum hunc tam facile provocent. Annotavit *Fallopianus de simp. medicam. Facult.* se quoties hæmorrhoides aperire volverit, pillulis de aloë usum fuisse, & ex centum illorum, qui aloë usi fuerint, nonaginta hæmorrhoidalem fluxum passos fuisse. Ob crebriorem aloes usum Venetos & Patavinos, hæmorrhoidibus familiarissime tentari, ut quasi ibi endemiæ sint, autor est *Fonsæca Tom. 1. Conf. 27.* *Calvinus* ex immodico aloes usu in exulceratas hæmorrhoides sanguinisq; sputum incidit, teste *Beza* in ejus vita. Eandem facultatem cieni-

di



di hujus fluxus tenet quoque allium, quare Judæi propter familiarè hujus usum hæmorrhoidibus valde obnoxii sunt. Afectuum horum ratio subesse hæc videtur: Aloë succus est gummeo resinofus, ex sale subtili acri sulphureoque constans, qui à lymphæ gastricæ & intestinali facillimè dissolvitur. Hujus subtilior pars sanguini commiscetur, crassior ac pinguior, quæ resinam continet, firmiter adhærens valvulis intestini recti, continuo infestæque stimulo illud exercet, unde sanguis in motum concitatus denegato ipsi propter obstructionem vasorum æquabili placidoq; per viscera itinere, maximo cum impetu ad alias vias patentes ruit, & orificiis apertis erumpit. Per venas autem recti exitum molitur eo, quod aloë hoc intestinum acri stimulo subinde excitat. Enim vero aloëtica in hæmorrhoides non solum impetum suum exercent, sanguinem provocando, sed pulmonum, uteri & renum vasa quoq; aperiunt, maximo sæpe cum ægrotantium detrimento. Similem effectum præstat quoq; allium sale volatili sulphureoq; sylvestri abundans, quo sanguis vehementer effervescit. Hinc intra vasa dum non contineri potest, maxime si obstructiones viscerum liberiores & æquabilem ejus motum impediunt, repagula solvit, & exitum præter naturam affectat. Quo etiam referimus omnia calida spirituosa & sulphurea, quæ sanguinem in vehementem validumq; motum concitant, ac animi vehementiores commotiones, quæ in sanguineis fluxibus concitandis insignem habent potentiam. Præcipue autem tentantur hoc fluxu, qui longas habuerunt viscerum obstructiones, splenis tumores, febres diuturnas passi sunt, qui que hac ratione sub febrium paroxysmis discrasiam acidam & viscidam sanguinis viscerumq; atoniam sibi contraxerunt. Male etiam habent ex hoc sanguinis fluxu, qui



hepate laborant, & uno verbo, omnes hypochondriaci, quique sanguinem crassum & copiosum infra venas fovent, & corpus minus perspirabile & pervium habent. Ejusmodi enim obstructionibus partium, quæ sanguini purgando eidemq; a fordibus vindicando inserviunt, multæ accumulatur fordes pituitosæ & viscidæ, quæ dum corpus gravant & premunt, sanguinis liberiores ventilationem & motionem impediunt, & sic causam sæpe effrænibus hæmorrhagiis subministrant. Ultimo disponunt quoq; ad hæmorrhoides alvi scybala diutius retenta, quæ, dum distendunt intestina, reciprocum sanguinis fluxum, quodammodo morantur, & dum descendunt duritie sua, vasa ani lædunt, atteruntq; Eandem ob causam *Hippocrat. & Solenander sect. 4. Conf. 20.* equitationem & vecturam ad hunc fluxum disponere scribunt. Vocis contentione, dum violentia deorsum movetur sanguis, incommoda etiam hæc promoveri docent *Ephem. D. 2. A. 3. obs. 226.*

## VII.

Præfagiunt autem proclivitate ad effundendum per ora venarum sanguinem dolor & ardor lumborum & maxime sinistri hypochondii, pondusq; in eodem, ructus, flatus, murmura, spasmi intestinales & sensus quasi pali infixi intestino recto. Quæ omnia a stasi sanguinis & ejus impetû vehementiori his partibus illiso veluti ex fonte merito deducenda sunt. Quod idem accidit in aliis hæmorrhagiis: Sic in narium profluvio facies rubicundior & tumidior fit, pulsant vehementius colli & temporum arteriæ, quæ etiam plus solito conspicuæ sunt, capitis adest dolor gravativus, narès pruriunt, quæ omnia mox sequentem hæmorrhagiam notant. Imo menses imminentes patefaciunt lumborum & regionis epigastricæ tensio, gravi-



gravitas, æstus, tempus consuetum, pulsus auētus, propter accumulationem copiosioris sanguinis circa has partes. Et licet hic fluxus in corporibus sanis, & qui sanguinem bonum continent, beneq; valent, non facile invenitur, neq; etiam in iis moveri tam facile debeat, ut ejus consuetudo fiat, nisi forsan dispositio hæreditaria subsit, attamen saluberrimus sæpe est, & multorum morborum, medicina. *Solenander* fluxum hæmorrhoidalem expressis verbis elegans & absolutum naturæ benevalentis & munia sua recte administrantis opus vocat. Cui subscribit *Julius Cæsar Claudinus Cons. 30.* Quod hæmorrhoides fluentes longam sanitatem promittant, & a multis morbis liberent, probat exemplo patris sui *Forestus L. 23. obs. 3.* Item quod longam senectutem polliceantur, adfirmat *Joh. Petrus Lotichius L. 4. C. 10. obs. 1.* & *Eph. nat. Curios. D. 1. § 4. & 5. obs. 69.* Prudentissime autem de hoc fluxu scribit *Galenus in L. 3. de humor. 20.* inquit: Non semper consultum est, ut sanguis per inferiores partes ex hæmorrhoidibus effluat, sed tum, cum nigra dejiciuntur, & cum hominis natura multum hujusmodi humoris collegit, alioquin natura non est tali evacuationi adsuæfacienda, quippe quæ utrumque excessum reformidat. Si vero ob solam plethoram vexata natura hæmorrhoides excitarit, tolerari poterunt, donec emissum sit, quantum redundat, aut quod fatius est, sanguine per aliam venam detracto, statim supprimantur. Imo quotiescunq; immodice fluunt, nimius fluxus quamprimum sistendus erit. Veruntamen si nunquam antea adparverunt, nec æger morbis istis magnis, de quibus in præcedente paragrapho dictum est, obnoxius est, sanguis vero in corpore ipsamole aut impuritate peccare videtur, non debent provocari statim hæmorrhoides, sed aliis potius remediis corpori adfecto succurrendum, nempe ve-



pe venæ sectione, purgatione, bonaque victus ratione. Quod si autem æger prædictis morbis conflictetur, ista evacuatione ante per intervalla adlevatus, tum sane ad tuendum corpus ab imminentibus malis & ad curationem præsentium venæ ani aperiri possunt, præsertim quando tument ac dolent. Quemadmodum autem hæmorrhoidalis fluxus ex plethora & cacochymia sive sanguine copioso crasso & impuro subnascitur; ita idem egregie corpus ab utroque hoc incommodo vindicat, & symptomata inde metuenda quasi in herba jugulat, uti loquitur *Cassparus Hoffmannus L. de Liene C. 116*. Etenim dum sanguinis crassi & impuri, quem vasa ac viscera capere & regere nequeunt, pars aliqua eaq; non levis decedit, ille qui remanet longe melius attenuari, moveri & temperari potest.

VIII.

Porro dum hæmorrhoidalis fluxus sanguinem congestum & stagnantem circa lienem, mesenterium, & venam portæ, copia & crassitie corpus prementem evacuat, egregie confert lienosis hypochondriacis & melancholicis. Præclare itaq; scribit *Henricus ab Heer obs. 20*: quando finistri hypochondrii dolor sentitur, pondusq; in ipso, querendum an laboraverit æger hæmorrhoidibus apertis? Si hoc asseverat, securi de illorum sanitate esse possumus, & assumenda aloe non lota, & suppositorio appropriato alvus irritanda. *Hipp. 6. epid. sect. 6*. scribit, hæmorrhoidum apertione indurationem lienis sanari, sanguine atrabillario sive crasso & copioso expulso. Melancholicis hæmorrhoides supervenientes perquam salutares esse, aphorismus 11. L. 6. Hipp. testatur, utpote revellunt & evacuant sanguinem, qui in vitio erat. Quare diadosis illa præclare ad salutem facit, unde naturæ consilium imitari medici in his morbis debent, & etiam pedum venas aperire, uti id



id prudenter monet *Heurnius in Comment. ad eundem aphorif.*  
 Spectat huc quoq; exemplum melancholici illius, qui cum  
 noctu vagaretur per vias, forte vulneratus in crure,  
 multo effuso sanguine a melancholia fuit liberatus. *Foreſt9*  
*lib. 10. obſ. 16.* hæc habet: *Quamdiu hæmorrhoides modera-*  
*tè per ſe fluunt, raro aliquis melancholia capitur, ſed iis ad-*  
*ſtrictis maximè, quod etiam in monachis Carthuſianis &*  
*aliis melancholicis obſervavimus. Et alio loco ſequentia*  
*ſcribit: Quia corpus hoc multo abundat ſanguine, eodem-*  
*que ſatis craſſo & melancholico, præfertim vero in venis*  
*meſenterii & illis, quæ ad lienem pertinent, eam ob rem*  
*maxime utile fore cenſerem, ſi ſanguis mitteretur, neque*  
*tamen ex ſuperioribus venis, cum non ſemel, uti nobis*  
*relatum eſt, hoc anno inde fuerit miſſus, ſed ex maricis*  
*vel hæmorrhoidibus: Et quamvis norim, id genus reme-*  
*dii à Germanis non facile admitti, tamen nullum mihi vi-*  
*detur in hoc negotio efficacius & præſtantius. Ipſe Hippa-*  
*crates Lib. 4. Epidem. in fine Alippum inſania correptum hæ-*  
*morrhoidibus reſtitutum fuiſſe, teſtatur. Galenus Lib. 4. aph.*  
*comm. 25. lib. 4. epidem. ſect. 5. comm. 29. eadè comprobat exem-*  
*plis eorum, qui clauſis hæmorrhoidibus in inſaniam sæpe in-*  
*ciderunt, & reſeratis his, ab ea liberi evaſerunt. Similè hiftoriã*  
*inſaniæ obortæ propter ſuppreſſionem fluxus hæmorrhoi-*  
*dalis proponit quoq; Zacutus Luſitanus in praxi medica ad-*  
*mirabili lib. 1. obſ. 59. Melancholiam ex ſuppreſſis hæmor-*  
*rroidibus ortam, annua autem hac evacuatione curatam,*  
*videre licet apud Galenum eundem lib. III. de humoribus comm.*  
*26. & lib. VI. aphor. 27. Antonium Zimaram in Comm. cap. 10. lib.*  
*de Somn. Ariſt. Item Moxium lib. 1. de morb. mul. cap. 45. In*  
*hanc rem porro notabilis eſt aphor. XXI. ſect. 6. Hip-*  
*pocracis. Melancholicis aut inſanientibus ſine febre, ſi va-*  
*tices aut hæmorrhoides accedunt, inſania ſolvitur. Di-*  
 C  
 xerunt



xerunt veteres migrationem materiæ melancholicæ in alium locum sive metastasin sic fieri, idq; salubriter, dum sanguis crassus, qui in cerebro melancholiam excitat, convertitur ad hæmorrhoides vel varices. Varix nascitur aliquando in testiculis, genis, mammis, in ventre infra umbilicum & maxima ex parte in cruribus, & gravidis præsertim familiaris est. Et sicuti hæmorrhoides sunt tumores venarum ad anum pertinentium, sic varices venarum, quæ dictas partes percurrunt. Varices itaq; hæmorrhoidū vices nonnunquam sustinere solent, & vice versa. Unde facile apparebit ratio, quare hernia varicosa fluxu hæmorrhoidali accedente, sæpe auferatur, testantibus id *Miscell. Nat. Cur. Dec. II. ann. 6. obs. 79.*

X.

Præterea & nephriticis admodum salutaris solet esse fluxus hæmorrhoidalis juxta *Aphor. XI. sect. 6.* Nephritis probè distinguenda est ab ipso calculo, & qui ab eo suscitatur, dolore. Illa enim inflammatoria stasis est sanguinis circa regionem lumbarem, ubi ardorem & dolorem movet. Eadem quandoque terminatur in mictum cruentum, nimium referatis vel dilaceratis vasorum renalium oris, interdum quoq; ad calculi generationem viam sternit, dum læsa substantia renum tubulosa, urinæ liber transitus impeditur. Hæc morata diutius justo extra vasa ordinaria, sedimentum tartareum, quod subinde paulatim, concrefcit in calculum, deponit. Qua de causa in omni nephritide pessimum est, diuretica calida acria, & olea destillata varia exhibere, quippe inde certissime vel mictum cruentum, vel urinæ suppressionem, ipsumq; calculum arcerimus. Quod optimum monitum est *Laur. Scholziæ in consiliis suis pag. 725.* Sanguinem sic stagnantem circa re-  
gio-



gionem lumbarē vasaq; distendentem maximo cum emolumento & fructu evacuant venæ hæmorrhoidales. Quare qui illarum fluxu laborant, plerumq; dorsi lumborumq; dolore, & quadam quasi tensiva lasitudine detorquentur. Vidimus quendam inquit *Hollerius in Aph. Hippocr. Comm. p. 640.* qui intolerabili cruciatu renum affligebatur. Is nulla phlebotomia nulla purgatione potuit levari, nisi hæmorrhoidē aperta, ubi statim quievit morbus. Quando cessat in assuetis hic fluxus, in mictum cruentum, observationibus testibus, frequentius incidunt ægrotantes, quale exemplum recenset *Thomas Reinesius epistola 44. item Hildanus Cent. II. obs. II.* Spectat huc quoq; singularis observatio, quam *Excellentissimus Stahlus Professor hujus Academiæ celeberrimus* mihi communicavit: Vir sexaginta duorum annorum, gonagrigo pathemate in sinistro genu, ab aliquot retro annis per vices infestatus, diætæ per plures annos vinosæ, habitus corporis sanguinei leviterq; plegmatici, ex usu largiore generosi vini Thuringici, & insuper facto in rheda itinere, tempore autumnali, corripitur ischuria, cum dolore sinistri lumbi, & coxæ ad os sacrum gravativo. Mingit magnam copiam sanguinis, partim floridi partim coagulati in magnos grumos. Sedatur hæc initio multo consilio & arte: post paucas septimanas fluit nonnihil ex hæmorrhoidibus, sed caret sufficiente successu molimen levatur tamen admodum à gravativo dolore, & lasitudine tensiva artuum. Post annum recrudescit malum in renibus, occupatur adstringentibus, accedit febris acuta, fit translatio inflammatoria ad fauces, enascitur gangræna, corruptio linguæ & faucium, mox æger defensus tot malis moritur.

X.

Porro spectat huc quoq; singularis casus à *Magnifico*  
C 2 Dn.



*Dn. Præfide* notatus: Nimirum generosus vir 45. annorum, temperamenti sanguineo melancholici, aulicæ vitæ deditus, assuetusq; victui duriori, vino liberalius utens, lumborum dolore vexatus, in hæmorrhoidalem fluxum incidit, quo ipse dolor sensim conquievit. Post 4. annos cessantibus hæmorrhoidibus, & omissa ex consilio medici venæsectione, cui alias assueverat, dictæ interim diætæ indulgens, infestatur dolore sævisimo finistri lumbi, ut insomnis multas noctes exigeret. Urina mingitur rubicunda, vires posternuntur, appetitus cessat, alvusq; adstringitur. Medicus & quidem admodum celebris vocatur in consilium, qui calculi præsentiam suspicatus spiritum talis, nec non essentiam zedoariæ volatilem, ad flatus dissipandos propinat per longum tempus. Interea dolor indies augetur, fixiorq; redditur, cum magna anxietate, animique crebra defectione. Alter medicus in consilium adhibitus propter turgentes venas & sanguineum corporis habitum suadet Venæsectionem in pede, maxime, cum antea æger ei assuevisset & hæmorrhoidali fluxui ante aliquot annos fuisset obnoxius: Qua instituta, sanguis cum impetu erumpit, ad ulnam usq; exiliens, dolor postea lumborum pauxillum remittit, vires interim fractæ manent, circa finistrum hypochondrium tandem dolor sese magis extendit, vomitu æger tentatur, & frustra datis omnibus absterfivis balsamicis aperientibusq; & stomachicis internis & externis, tandem cruentæ vomitiones sequuntur, quibus etiam animam expiravit. Nullum hic dubium est, quin si statim in principio admissa V. S. fuisset, ubi morbus nondum radicem egerat nec exhauerat vires, idem depelli potuerit, cum non nisi ex stasi & congestione sanguinis circa lumbos, mesenterium & lienem subnatus fuerit. Ceterum *Hallerius in Comment. ad Aphor. cap. 55.* hanc prodit historiam:



storiā: Cuidam nobili, in gravissimo renum dolore  
pus sanguinem & crassam pituitam emingenti, cum hæ-  
morrhoides aperirentur, incredibili celeritate dolor con-  
quievit.

XI.

Insuper fluxus hic saluberrime accidit ischiaticis &  
arthriticis. Arthritidem ortam fuisse à cessatione hujus  
fluxionis, memorat *Fridericus Lossius lib. III. obs. 24.* Sic *Pe-  
trus Monavius, teste epistola ad Cratonem 236.* à suppressis hæ-  
morrhoidibus in arthritidem molestam incidit. *Forestus lib.  
23. obs. 4. de Cornelio Zofo* Hollandiæ præside scribit, illum,  
apertis hæmorrhoidibus liberatum fuisse ab omni arthriti-  
co malo. Pertinet huc quoq; notabilis historia, a modo lau-  
dato Viro *Dn. Stablio* mihi communicata. Nimirum Vir  
44. ann. habitus corporis sanguineo melancholici, diætæ  
lautæ viniq; liberaliori potui deditus, quondam Hungaricis,  
nuper etiam Austriacis vinis largius usus, V. S. alioquin ad-  
hibitam aliquandiu negligens, oblati interim occasioni-  
bus frequentioribus iracundiæ, corripitur autumnō 1664.  
coxendicum malo. Hinc genuum, hinc pedum manu-  
umq; doloribus mox incrementibus, & noctes diesq; tor-  
quentibus per 3. 4. septimanas, verno primo tempore de-  
inde & proximo autumnō hisce malis vexabatur. Sequen-  
tibus duobus annis, modo vere, modo autumnō, modo  
hyeme humidiorē & languidiorē, eadem vis morbi ægrum  
exercebat. Cura diligentis medici practici doctiq; & periti,  
referantur deniq; hæmorrhoides, quibus per vices, licet  
non statas, fluere continuantibus, omnium dolorum po-  
dagricorum expers vixit ad annum usq; 76. suæ ætatis.  
Meretur quoq; hic recenseri observatio prima *lib. IV. Thon-  
neri*, ubi commemorat, fuisse aliquem sævo & pene imme-  
dicabili dolore ischiatico coxæ dextræ ita infestatum, ut



varia, etiam validissima purgantia assumta, vesicatoria admota, opiata exhibita, vena in talo aperta, localia adhibita, clysmata injecta nihil levamenti adtulerint: Cum autem dolor vagabundus observaretur in abdomine, modo in regione mesenterii angustiam excitans, modo a coxa in crus descendens, ratus *Thonnerus*, id mali prodire a copioso & crasso sanguine, cui exitus intercluderetur, suavit ad moveri hirudines, eò magis, cum intellexisset, ipsum alias fluxui hæmorrhoidali fuisse opportunum. Sic brevi omnis cruciatus evanuit, emissio sanguine rubro admodum crasso omnique sero destituito. Similem ferme historiam novit *Magnif. Dn. Præses*, ubi vir temperamenti-cholericosanguinei, iracundiæ deditus, vino liberalibus utens per plurium mensium spatium ex malo ischiatico gravissime laborabat, qui omnibus remediis sudoriferis, purgationibus, lignorum decoctis, mercurialibus, opiatisq; frustra tentatis, post usum aquarum salubrium *Hornhusanarum* sale & nitro turgidarum, incidebat in hæmorrhoides, sic perfecte sanitati restitutus.

XII.

Porro sanguinis profluvium ex hæmorrhoidalibus venis egregie hydropem & tabem præcavet juxta *Hippoc. aph. XII. lib. 6.* Si quis hæmorrhoides diurnas sistere velit, nisi una fluere sinat, hydropis & tabis metus ipsi instat. Quare cavendum, inquit *Heurnius* in *Comment. ad eundem aphorismum*, ne quibus consueverunt fluere, supprimantur, cum sæculentus ille sanguis remanens, scirrhum in hepate facile producat, vel translatus in pulmones, ibi vas rumpat & hæmoptysin efficiat. Itaq; una vena aperta tenenda, vel vena in ea periodo secetur, vel sæcis plenus sanguis purgetur, vel diæta remedium afferat. Cuidam mediæ ætatis immodice fundebantur hæ-  
mor-



morrhoides. Quum medici & chymici cuncta tentas-  
sent, nec quidquam profecissent, iussi, una intacta, reli-  
quas tangere colcothare, ita appellant crassamentum illud  
â vitrioli olei destillatione relictum. sic illico constitit ma-  
lum. Hydropem ab obstructione hæmorrhoidum pro-  
ductum fuisse, autor est *Joh. Rhodius Cent. III. obs. 5. item*  
*Frider. Lossus Lib. III. obs. med. 26.* Pertinet huc etiam,  
quod de Trajano Optimo Imperatore narrat Dio Casius  
Græcus scriptor, sed qui Romanorum res stylo consignavit.  
Is cum ob retentas hæmorrhoides hydropem inci-  
disset, aptis remediis restituebatur. Mox cum, neglecto  
commodo victu, iterum sibi contraxisset hunc mor-  
bum, frustra medicos adhibuit, eodem interceptus. Quod  
phtisin attinet, refert *Amatus Lusitanus Cent. V. curatione 3.*  
quibusdam, qui his evacuationibus assveverunt, sangui-  
nem sine tusi per os exiisse, desiisse autem, cum hæmor-  
rhoides essent apertæ. *Galenus* quoque *Cap. VI. de V. S. ad-*  
*versus Erasistratum* mentionem facit hæmoptyses & in-  
tercostalium inflammationum obortarum propter fluxum  
hunc cessantem. *Ridlinus obs. med. 360.* hæmoptysin, ulcus  
in collo, vesicæ tabem, mictionem cruentam, denique  
ipsam mortem ex hæmorrhoidum suppressione annota-  
vit.

### XIII.

Tandem egregia de salubritate hæmorrhoidum notavit  
*Hipp. Lib. VI. Epid. Com. 3.* & ad finem *lib. de humoribus*, ubi di-  
cit, hæmorrhoides non solum solvere melancholiam & re-  
num passiones, verum etiam pleuritidem peripneumoniam  
maniam & phagædenica ulcera, furunculos, vitiligines, de-  
nique omnia mala, quæ ex humore melancholico crassoq; san-  
guine maximam partem proficiuntur. In dictis enim mor-  
bis & inflammationibus ut plurimum peccat sanguis crassus,  
serum glutinosum, quò evacuato, de atrocitate sua multum  
remit-



remittunt dicti affectus. Ulcera fistulosa ex suppressis hæmorrhoidibus nata fuisse, docent *Miscell. Nat. Cur. Dec. II. ann. 1. obs. 42.* Ex iisdem cessantibus scabiem malignam notavit *Gabelboverus curat. med. Concl. III. cur. 22.* Secundum *Mercatum lib. III. de morb. intern. cap. VII.* anginam & epilepsiam aver-  
tunt.

Ex hisce adductis clarissimum est, quantum levaminis & utilitatis expectandum a moderato & bene ordinato sanguinis hæmorrhoidalis profluvio, & quam solemter medicus in sanatione morborum, ad excretionem hanc, utrum consueta fuerit nec ne, respicere debeat, ut nimirum semper natura duce operetur & eo motus naturæ medicamenti dirigat, quo ipsa inclinat & vergit. Sic prudentissime rem suam instituit, & optato suo sine perfacile potiri potest. Fluxus sane hæmorrhoidalis multis corporibus familiaris est, se-  
cus ac vulgariter putamus, & dici vix potest, quam negligenter medici inquirent in hoc excretionis negotium, & quam parum de illo solliciti sint in ordinanda morborum cura-  
tione. Si semel natura exitum sanguini per has vias patefecit, in morbis mox sequentibus semper curiosum oculum ad hunc fluxum adplicare oportet, sique venæ hæ tument, vel dolor, ardor & pondus in lumbis percipitur, facile provocari possunt, nimirum aloeticis intrinsecus, extrinsecus frictionibus suppositoriis fomentisq; paratis ex herba malvæ, ebuli, centaury, ciclamini, succo ceparum felle taurino, pulpaq; colocynthitis. Cavendum tamen sedulo est, ne fortioribus remediis excitetur inflammatio. Veteres inverso recto intestino negotio sane laboriosissimo & plurimum doloris adferente, nimirum incisione & hirudinum applicatione provocarunt hunc fluxum; Verum & eo respiciendum, ne cum sphincter ani partim nervosa substantia, partim nervoso circulo constet, extrinsecis læsionibus acris & mordacibus inflammationem, corruptionem, fistulasq; excitemus. Tutius semper est adhibere tunc demum hirudines aliaque jam dicta, si tument venæ & natura per has sanguini viam moliat. Sed hæc de salubritate fluxus hæmorrhoidalis sufficiant, quam utilem materiam fusius deducendam in aliud tempus  
si Deusnaverit, nobis reservamus.

DEO SOLI GLORIA.



05 H 664

ULB Halle

3

004 229 002




*sh*











15.  
M. D. B. V.  
**SALUBRITA-  
TEM FLUXUS HÆ-  
MORRHOIDALIS,**

SUB PRÆSIDIO  
*VIRI EXCELLENTISSIMI*  
**FRIDERICI HOFFMANNI,**  
Consilarii & Archiatri Regii, Medicinæq;  
& Phil. N. Prof. P.  
**PRO LICENTIA**  
Summos in arte Medica Honores impetrandi  
DISSERTATIONE INAUGURALI  
deducebat  
**M. GEORGIUS ANDREAS AGRICOLA,**  
Ratisponensis.

Typis, CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr. 1708.